



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino  
Lugduni, M. DC. LXXX.**

37. An executores habeant facultatem vendendi bona testatoris ad  
exequenda opera in testamento præscripta? Et pro praxi prædicta  
quæstionis apponuntur quatuordecim conclusiones. Et tandem docetur, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)



3. *Secundus casus* est, si masculus, & femina concurrant; quia tunc votum masculi præfertur, ex lib. 1. ff. de *Senariis*, in illis verbis: *Consulari femina, utique consularium virum preferendum esse nemo ambigit*, Palacius Rubius dicit. n. 8. ad finem. Salazar de usu & consuetudine c. 12. n. 26. Gomez Arias dicit. n. 5. Spino dicit. n. 19. *responsum si femina*. Quem casum intelligendum esse existimo, etiam; ceteris paribus, ad hoc ut iudex hoc respectu voto masculi ahaereat.

4. *Tertius casus* consideratur, ut discordantibus testamentariis, votum consanguinei anteponatur, Bald. in l. Imperator 6. ff. de *patris*, 2. col. vers. & *secundum hoc*, ubi ait, quod (ceteris paribus) Episcopus debet adherere voluntati consanguineorum, & consanguineorum; quibus à testatore distributio inter partes fuit relicta: quem sequuntur Palacius Rubius, Gomez, Arias, & Spino citati, Rolandus in consil. 16. num. 42. vol. 3. *Lira de Anniversariis*, & *Capellani* lib. 2. cap. 3. n. 27.

5. *Quartus casus* est, ut in omnem euentum, votum commissarii præferatur, quod magis accedit voluntati defuncti: seu eius breuiori expeditioni: non attenda qualitate clericatus, sexus, seu consanguinitatis: ad hoc ut iudex, seu Episcopus illud eligere valeat. Si enim ratio prælationis in Clerico, viro, & consanguineo, ex illorum qualitate consideratur pro expedienda postrema voluntate: inde consequens est, ut si hæc debeat, & maior affectus in consorcio commissario inueniatur, quod ei subscribere debeat Episcopus, seu iudex alius. Hucusque Carpius.

6. Non desinam tamen hic adnotare illa etiam: quæ circa præsentem dubitationem asserit Sanchez in opus. tom. 2. lib. 1. c. 1. dub. 45. n. 3. Quando, ait, executores discordes sunt æquales pro utraque parte, ut duo pro vna, & duo pro alia, tunc dicit Spino, eo n. 19. posse præferre Episcopum, quem voluerit. Sed dicendum est, quod si sit in rebus piis, potest Episcopus præferre; quem voluerit; si vero in rebus profanis, id potest iudex secularis. Sic Baldus & Speculator, quos refert, ac sequitur Gregorius Lopez l. 6. tit. 10. p. 6. vers. *todos* Francus cap. 2. §. *sancti*, de test. in c. 5.

7. Nota hoc intelligendum esse data paritate personarum; secus si sint dispares, ut quia vnus est masculus, alter femina; tunc enim præfertur masculus: vel si vnus est extraneus, alter vero consanguineus testatoris, præfertur consanguineus: vel si vnus est laicus, alter vero clericus, præfertur clericus. Ita Sanchez & post illum Cardinalis de Lugo de Inst. 1. 2. disp. 24. sect. 16. n. 355.

## RESOL. XXXVI.

Ad quid teneantur Executores? Et p. 8. tr. 5. Res. 31.

§. 1. **R**espondeo breuiter teneri secundum mentem testatoris omnia exequi, & proinde debent esse instructi mediis ad suum officium necessariis. Si meri sunt executores contra resistentes, siue heredes, siue alios, possunt implorare officium iudicis; si commissarii, vel executores cum plena facultate, & arbitrio intentabunt etiam actionem in iudicio: tenentur quoque facere initio inventarium, quod tamen ad inventarium attinet, cum hæredi sapè sit valde durum, statum suorum bonorum aperire, cum subinde non expedit sciri, aut tam diuitem, aut tam pauperem esse, quam est re ipsa, sufficere si ille caueat executoribus de præstandis legatis iuxta voluntatem testatoris, & finito officio rationem reddere suæ distributionis paratus sit. Sed quando sunt executores vniuersales, & quasi loco hæredis ad distribuenda omnia iuxta mentem defuncti: tunc debent facere inventarium, non tamen necessario coram iudice, sed coram Tabellio-

ne, & testibus. Imò testator potest ipsis remittere confectionem inventarii, lib. ultim. C. de arbit. tut. ibi enim curatores ipsos liberari posse decernitur ab inventario conficiendo; quanto ergo magis potuit executores: ut bene Bart. lib. 2. C. de alim. pupillo præst. qui dicit posse tunc remittere, solent in multis locis cauere; in multis tamen, si sint potentes, aut habeant stabilia bona, cautio non exigitur. Et hæc omnia docet P. Nvadingus tract. de contract. disp. 4. dub. 13. §. 4. num. 7.

## RESOL. XXXVII.

An Executores habeant facultatem vendendi bona testatoris ad exequenda opera in testamento præscripta? Et prædictæ questionis apponuntur quatuordecim conclusiones.

Et tandem docetur, quod hæres potest Executorem impedire, ne vendat, vel offerendo pecuniam necessariam, vel exhibendo se paratum ad soluendum, &c. Ex p. 8. tract. 5. Res. 32.

§. 1. **H**anc questionem breuiter tangit Dicastillus de Inst. 1. 2. n. 19. disp. 3. d. 15. n. 186. Molina de Inst. 2. disp. 248. paulò latius Sanchez in opus. 1. 2. lib. 4. c. 1. dub. 46. per totum. Sed omnium latissime Carpius de exec. test. lib. 3. c. 3. per totum.

1. Et ideo supponit quod executor, & commissarius vel est vniuersalis, vel particularis. Vniuersalis dicitur, cum nullo dato hærede in testamento pauperes, seu anima instituuntur (commissariis constitutis) vel eis testatio, seu distributio vniuersalis iniungitur. Particularis vero cum (constituito hærede) executio alicuius rei ei relinquitur: primum probat l. nulli, lib. si quis ad declinandam, C. de Episcop. & Clericis: secundum docet lib. alio hærede, ff. de aliment. & cib. legatis.

2. Et his suppositis apponit plures conclusiones. *Prima*, Quod commissarius vniuersalis res hereditarias vendere potest ad perficiendam testatoris voluntatem. *Secunda conclusio*, Particularis executor, vendere non valet, nisi facultas ei à testatore sit concessa. *Tertia conclusio*, Commissarius cui à testatore concessa est plena, & libera facultas vendendi, poterit apprehendere rem, seu res hereditarias ad exequendam testatoris voluntatem (etiam reluctante hærede) & possessionem, dominiumque in emptorem transferre, non solum de iure regio, sed etiam de iure communi post hereditatem aditam. *Quarta conclusio*, Executor seu commissarius particularis, vel vniuersalis cum facultate vendendi non potest res hereditarias directe, nec indirecte emere. *Quinta conclusio*, Licet Executor, vel commissarius emere non valeat, potest tamen iure sanguinis retrahere rem sui patrimonij. *Sexta conclusio*, Commissarius particularis, vel generalis cum libera facultate vendendi, & quod possit facere ea omnia, quæ testator facere poterat, iure ei licet in venditione rerum, pro earum faciliore, & meliori expeditione promissum (vulgo *prometido*) concedere, dummodo absit dolus. *Septima conclusio*, Ex venditione rerum hereditariarum pro exequendis causis piis à defuncto relictis, executor, seu commissarius non tenetur soluere gabellam, quando illud, quod huius iuris nomine præstaretur, detraheretur à causis piis, taliter quod tanto minus perciperet causa pia; secus in eo euentu, quo certa quantitas relinquitur expendenda; vel distribuenda pro pia causa, remanentibus tamen aliis bonis hereditariis commodo hæredis, ex quibus solui posset. *Octaua conclusio*, Si Executor, seu commissarius aliquas expensas fecerit in exigendis rebus, vel quouis alio modo ad exequendam dispositionem defuncti, poterit alias petere ex bonis hereditariis.



ditariis. *Non conclusio.* Executor, seu commissarius, etiam cum facultate vendendi tenetur cum subhaftatione distringere. *Decima conclusio.* Executor, seu commissarius in venditionibus his prius vendere debet mobilia, postea immobilia, deinde iura, & actiones. *Undecima conclusio.* Executor, seu commissarius particularis, vel vniuersalis periculum euictionis non sustinet, ex venditione ab eo facta, vt (talis executor) licet ex eius promissione hereditas teneatur. *Dodecima conclusio.* Executor habens potestatem vendendi, poterit permutare, in solum dare, vel obligare. *Tertia decima conclusio.* Commissarius cui simpliciter a testatore factio testamenti iniuncta fuit. *Quarta decima conclusio.* Venditio hac bonorum quiescit, si haeres offerat nummos commissario ad exequendum testamentum. Et omnes haec conclusiones late probat & declarat, omnino videndus in facti contingentia Carpius loco citato.

4. Non desinam tamen etiam hic apponere verba Cardinalis de Lugo de iust. 2. disp. 24. sect. 16. n. 332. ubi quaerens an executores habeant facultatem vendendi bona testatoris ad exequenda legata, vel alia opera praescripta: respondet, executores vniuersalem posse, particularem non posse: quare si executor particularis propria auctoritate vendat, venditio est nulla. De facto tamen solent communiter testatores hanc facultatem executoribus concedere in ordine ad implenda, quae in testamento continentur. Debent tamen seruare debitam ordinem, vt prius vendat mobilia, postea iura, & actiones, postea immobilia, l. à Diao, §. in venditione, ff. de re iudicata. Debent etiam bona fide vendere, vt rem magni pretij non vendant pro minimo, & non nisi cum bannimentis, & publica subhaftatione: potest autem haeres executores impedire, ne vendat, vel offerendo pecuniam necessariam vel exhibendo se paratum ad vendendum, & satisfaciendum intra debitum terminum, & datis fideiussoribus, vel offerendo rem aliam, quae cum minori incommodo vendi possit, vel emptorem, qui maius pretium offerat. Ceterum executor, quando iure suo vendere potest, non tenetur de euictione, sed haeres, & potest non solum vendere, sed etiam permutare, obligare, vel in solum dare; non possunt tamen hac facultate vt ante aditam hereditatem de iure communi, nisi ad legata pia: nec nisi prius requisito haerede & communiter loquendo, nisi hic ex industria effugiat praesentiam executoris, vel nisi in rebus clavis, in quibus non est necesse heredis voluntatem explorare. Sed, vt dixi vide Carpius, ubi supra.

## RESOL. XXXVIII.

An Executores possint, inuito haerede, soluere legata, & debita defuncti?  
Et an peccet mortaliter haeres resistens si ipse non exequatur? Ex p. 8. tract. 5. Ref. 38.

§. 1. **H**anc questionem pertractat Sanchez in Opus. rom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 47. & 48. ex quo postea Cardinalis de Lugo, de iust. tom. 2. d. 24. sect. 16. n. 333. infra scripta reassumpsit, nempe executores, si haeres non resistat, posse propria auctoritate soluere legata, & debita quae testator solui iussit, quia hoc est officium ipsis commissum, vt exequantur contenta in testamento; quare alia debita in testamento non contenta non possunt soluere, quia solum sint executores testamenti, sed haec debent ab haerede peti. Nisi testator dixisset, vt exonerent suam conscientiam, & soluant eius debita; tunc enim possent & deberent soluere debita, non solum ciuilia, sed etiam naturalia, quae in solo conscientiae foro debentur:

si verò haeres sit inuitus: non potest executor capere rem legatam, vt tradat legatario, quia non potest propria auctoritate, per vim eicere haerem à possessione bonorum. Potest tamen, & tenetur intimare Episcopo, vt compellat haerem, potest etiam agere aduersus haerem, & debitores hereditarios ad legata pia, vel causa alimentorum pauperum; ad alia verò, si sit merus executor, agere non potest directè, sed implorare officium iudicis, vt ipse ex officio haerem cogat; solent tamen testatores facultatem dare executoribus agendi aduersus haerem, & quoscunque alios.

2. Vnde ex his Valerius in differ. vtriusque fori, res. testamentum differ. 5. dixit, quod in foro conscientiae tenetur quilibet executor testamentarius exequi ea quae in testamento relicta sunt, & excipere bona defuncti, & ea vendere ad solutionem, & executionem eorum, & sic peccabit mortaliter haeres resistens, si ipse non exequatur. Vnde si haeres resistat, poterit executor denunciationis Euangelicae, vel per officium iudicis obtinere mandatum à iudice contra haerem, vel possessionem bonorum, vt tradat sibi quae necessaria sunt, vt defuncti voluntas executioni mandatur.

## RESOL. XXXIX.

An in legatis soluendis sit seruandus aliquis ordo, vt in debitis? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 60.

§. 1. **A**d hanc dubitationem sic respondet Ioan. Valerius in differ. vtriusque fori, res. legat. diff. 2. n. 2. Vidi dubitari an in legatis soluendis sit seruandus ordo prioritatis, & dignitatis, vt prius soluantur legata magis pia, deinde alia minus pia, tertio loco prophana, & non pia; & an teneretur in conscientia qui praedictum ordinem non seruauerit, quando haereditas non est ita sufficiens, & ampla vt possit omnibus satisfieri. Et dubium hoc contingit potissimum, ubi testator relinquit in testamento, vt in quibusdam redditibus paulatim legata per se relicta soluerentur. Et sanè si testator nihil circa hoc disposuit, idem dicendum de legatis, quod de creditoribus chirographariis, nempe non esse locum gratificationi, sed pro aequis portionibus esse soluendis, seu pro rata bona esse restituenda. Ita Valerius, & alij penes ipsum, quibus ego addo Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. c. 5. n. 40 & Bonacinam de contrah. diff. 3. q. 2. num. 27. vide etiam Comitulus in respons. moral. lib. 7. q. 10. num. 4.

## RESOL. XL.

An Executores possint compelli à Capitulo Sede vacante ad Executionem testamentorum, & ad reddenda rationes? Ex p. 8. tract. 5. Ref. 62.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè. Ita Couarruias in c. Ioan. n. 2. de test. Card. in Clem. vnic. q. 1. de test. Panuini de potest. capit. 9. 3. Barbosa de potest. Episc. §. rom. 3. quod extendit etiam ad potestatem cogendi ipsos executores ad rationes reddendas. Imol. in Clem. vnic. sub n. 13. Franc. in c. vnic. de maior. & obed. lib. 6. q. 11. & hanc opinionem docet etiam Moneta de commut. ult. vol. c. 5. n. 428.

## RESOL. XLI.

An Episcopus possit precipere haeredi, & Executori, vt ante annum adimpleant exequenda ei